

Probat consequentia, quia opus sic meritum non est parum utile ad salutem æternam. Propter quam rationem alibi etiam diximus orationem mere humanam, id est, factam sine spiritu fidei et gratiæ, non esse impetratoriam donorum gratiæ; ergo eadem ratione nec meritoria de congruo talium donorum esse potest. Et similis ratio fieri potest de dispositione, quia actus naturalis non disponit per se ad supernaturalia dona; ergo nullo modo meretur illa; est enim vel eadem, vel major ratio, quia, sicut in ratione dispositionis est inferioris ordinis, ita etiam in ratione meriti est quid mere naturale, et ideo non habet habitudinem etiam congruitatis ad præmium supernaturale. Et per hæc liquet contraria ratio dubitandi, ejusque confirmatio.

11. *Compendium dictorum de conditionibus meriti congrui ex parte actus.* — Concludimus ex parte actus tres condiciones esse necessarias ad meritum de congruo supernaturalis præmii, quod Christianum seu Theologicum meritum, licet imperfectum, appellare possumus, nimirum, quod sit liber, bonus et supernaturalis. Quæri autem potest an præter has condiciones aliæ requirantur. Nam quidam putant oportere ut sit opus superelevationis. Sed non est verum, nam in observatione mandatorum potest esse magna congruitas ad præmium. Nam si potest esse condignitas, ut supra cap. 5 ostensum est, cur non etiam vel multo magis poterit esse congruitas? Unde de hac conditione idem sentiendum est de merito de congruo, quod de merito de condigno in dicto loco diximus. Et simili modo quæ in capit. 7, 11 et sequentibus, de actibus internis et externis, et de modo libertatis in operibus de condigno meritoris diximus, ad meritum de congruo applicari possunt; nam eadem ratio intercedit, ut legenti et consideranti facile patebit. Addunt vero tandem aliqui, sicut ad meritum de condigno necessaria est quædam æqualitas saltem proportionis operis ad præmium, ita e contrario ad meritum de congruo necessarium esse ut in opere talis æqualitas non inveniatur, quia sicut æqualitas illa est necessaria ad perfectionem meriti, ita imperfectio meriti ex improportione operis consurgit. Sed hæc ratio solum probat interdum esse necessariam hanc imperfectioem operis, ut meritum sit de congruo et non de condigno, nimirum quando nulla ex aliis conditionibus, necessariis ex aliis capitibus ad meritum de condigno, deesset, nam tunc si

ex parte etiam operis sufficiens proportio concurreret, jam meritum non esset de congruo, sed de condigno. Fieri autem potest, ut ex parte personæ operantis, vel aliarum, meritum a condignitate deficiat, ut mox videbimus, et tunc non procedit ratio facta, nam poterit esse meritum de congruo, etiam si ex parte operis inveniatur æqualitas, quia ex quocumque defectu erit meritum imperfectum, etiamsi in opere per se spectato non inveniatur. Dico autem *per se spectato*, quia si dignitas, aut valor operis, seu efficacia ejus ad meritum consideretur morali modo, et quatenus consurgit ex habitudine ad conditionem personæ merentis, vel cui, vel apud quem meretur, sic clarum est non posse opus habere proportionem ex his omnibus consurgentem, et esse meritum tantum de congruo. Tamen juxta hanc considerationem conjunguntur, et quasi confunduntur condiciones requisitæ ex parte operis cum concurrentibus ex aliis capitibus. Igitur præcise sistendo in conditionibus operis, fieri potest ut, licet ex ea parte habeat sufficientem proportionem, ex aliis defectibus sit tantum meritum de congruo, ut in merito primæ gratiæ, vel respectu sui, vel respectu aliorum, et in aliis exemplis ex doctrina sequentis capituli manifestum fiet.

CAPUT XXXIV.

UTRUM EX PARTE PERSONÆ MERENTIS ALIQUA SPECIALIS CONDITIO AD MERITUM DE CONGRUO REQUIRATUR?

1. *Primum dubium, an ad hoc meritum requiratur status gratiæ?—Opinio prima universaliter affirmans.* — *Suadetur ex Paulo.* — *Secundo ab inconvenienti.* — *Tertia ratio a priori.* — Post condiciones requisitas ad meritum de congruo ex parte actus, dicendum sequitur de requisitis ex parte personæ merentis, de qua duo tantum dubia occurrunt. Primum est, utrum in hoc merito necessarium sit status gratiæ ex parte personæ merentis. Et loquimur de merito in ordine ad præmium supernaturale, nam de naturali et parva est difficultas, et parum ad rem Theologicam refert, obiter tamen illud etiam attingemus. Prima ergo sententia docet statum gratiæ esse necessarium ad omne meritum de congruo apud Deum, ac proinde hominem existentem in statu peccati mortalis, non posse mereri quidpiam de congruo apud

Deum. Ita tenet Soto, lib. 2 de Natur. et Grat., c. 4, quem sequitur Medina 1. 2, quæst. 21, art. 4, dub. 2, ubi admittit in operibus peccatoris vim impetrandi, non autem merendi ullo modo; et quæst. 109, art. 6, dub. 3, ex professo impugnat meritum de congruo peccatoris, idemque sequuntur aliqui moderni. Fundantur primo in verbis Pauli 1 ad Corint. 13: *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Nam si opera facta in statu peccati essent meritoria de congruo supernaturalium bonorum, multum prodesse, etiamsi absque charitate facta fuerint, quod videtur repugnare verbis Pauli. Secundo, ab inconvenienti, quia alias sequitur posse peccatorem mereri saltem de congruo suam justificationem et remissionem peccati, et ita justificatio esset ex operibus, et non esset omnino gratuita, quod repugnat Paulo in tota epistola ad Rom. Sequela patet, quia si status gratiæ non est necessarius ad meritum de congruo, nihil deest peccatori, quominus possit habere tale meritum respectu gratiæ et remissionis peccatorum, quia habet auxilium gratiæ, quo potest convenienter ad illud præmium operari. Tertio, est ratio a priori, quia peccator carens gratia non potest facere Deum sibi debitorem alicujus boni, quia ratione peccati meretur privari omni bono; ergo non potest ullo modo etiam imperfecto mereri apud Deum. Probatur consequentia, quia omne meritum juxta gradum suum constituit debitorem eum apud quem meretur; nam meritum dicit habitudinem ad remunerationem, seu mercedem cum proportione. Hac ergo ratione peccator, cum sit Dei inimicus, videtur incapax omnis præmii et remunerationis, ac proinde etiam cujuscumque meriti.

2. *Secunda opinio simpliciter negans approbatur.* — Nihilominus verius censeo statum gratiæ non esse simpliciter necessarium ad meritum de congruo. Hæc fuit communis sententia antiquorum Theologorum, quos sequenti capite referemus, inter quos est D. Thomas, in 2, d. 27, quæst. 1, artic. 4; tenent etiam late Bellarminus et Vega ibidem citandi, qui ex antiquis Patribus illam confirmant, quos ibi etiam commodius afferemus. Nam hæc assertio potissime suadenda est exemplis ibi tractandis, quia peccator, bene utens aliquo auxilio divino, potest aliud majus a Deo promereri saltem de congruo, et pari ratione, se sufficienter disponendo ad

gratiam, illam promeretur, et similiter Scriptura dicit eleemosynam extinguere peccata; ergo si fiat spiritu fidei, et per auxilium gratiæ a peccatore, erit utilis saltem per modum meriti de congruo ad perfectam pœnitentiam obtinendam. De quorum exemplorum veritate paulo post plura dicemus. Nunc ratio a priori est, quia ad meritum de congruo non requiruntur omnes condiciones necessariae ad meritum de condigno, ut per se notum est; ergo sufficientes condiciones illæ, in quibus, secundum rectam rationem ac prudentem providentiam, aliqua sufficiens congruitas ex parte operis et operantis fundari possit, ut ratione talis operis aliquod speciale beneficium operanti reddatur; sed licet operans non sit justus, potest sufficiens ratio hujus congruitatis inveniri; ergo non est cur illa conditio sanctitatis personæ ad hoc meritum semper necessaria sit. Probat minor (cætera enim omnia clara sunt), quia imprimis ex parte actus potest esse perfectio supernaturalis satis proportionata alteri dono supernaturali ejusdem ordinis, ad eum modum quo actus est proportionatus habitui, vel unus actus alteri, etc. Ex parte vero operantis, licet sanctitas non præcedat, in hoc invenitur magna congruitas, quod facit quantum in ipso est, seu quantum in tali statu potest ac debet cum auxilio divino. Hanc enim proportionem etiam in meritis justorum D. Thomas consideravit, quæst. 114, art. 3, et quoad bonum et supernaturalem usum libertatis æque invenitur in opere peccatoris, quamvis dignitas ex parte personæ illi desit; ergo, licet ex hac parte deficiat opus peccatoris a perfectione meriti de condigno, nihilominus ex aliis capitibus sufficientem rationem ad meritum de congruo retinet. Accedit quod, licet ad hoc meritum non supponatur gratia sanctificans, nihilominus supponitur fides; hæc enim, ut dixi, fundamentum est, et inchoat supernaturale meritum, ut cum Augustino sæpe diximus: at vero fides, licet sola non sanctificet personam, nihilominus initiat sanctificationem ejus, propter quod fideles omnes solent interdum in Scriptura Sancti vocari; ergo hæc etiam conditio ex parte personæ, cum aliis quas ponderavimus, ad supernaturale meritum de congruo sufficere poterit.

3. *Ad primum ex Paulo in num. 1.—Ad secundum.—Ad tertium.* — Neque obstant verba Pauli in contrarium inducta, non est enim sensus Pauli peccatorem nihil facere posse, quod sibi sit aliquo modo utile et commodum

in ordine ad vitam æternam, alias neque orare posset sicut oportet, neque aliquid impetrare, neque se disponere, saltem remote, ad remissionem peccati, hæc enim omnia aliquid sunt, et non parum prosunt; ergo sicut, non obstantibus verbis Pauli, potest hæc facere peccator, ita etiam poterit mereri de congruo. Sensus ergo Pauli est sine charitate opera nihil valeré per se et immediate ad vitam æternam obtinendam, et similiter nihil prodesse, nisi per ea tandem ad charitatem perveniant. Propter quod talia opera a Theologis mortua vocantur, quamvis ad vitam obtinendam aliquid conferre possint, sive per modum remotæ dispositionis, sive per modum impetrationis, sive per modum meriti de congruo. Ad secundum, ex illo inconvenienti sumptum, quod posset peccator suam justificationem mereri de congruo, distinguenda est sequela, nam vel est sermo de tota justificatione ab initio usque ad terminum ejus, et sic negatur sequela, quia in peccatore jam supponitur aliquod initium justitiæ per fidem, et aliqua pia opera ab illa procedentia. Si vero sit sermo de solo termino justificationis vel aliqua intermedia dispositione ad illam, concedimus sequelam, estque consequens verissimum, ut jam tetigi, et infra ostendam. Ad tertium, distinguendum est de debito justitiæ, vel decentiæ seu congruitatis, nam de priori verum est peccatorem non posse Deum facere sibi debitorem; de posteriori autem est falsum, quia, licet peccator ex justitia mereatur privari omni bono, ex decentia potest mereri remissionem sui debiti; maxime cum supponatur ex parte Dei aliqua benevolentia mere gratuita, tum in conferendo aliquod auxilium, cujus erat indignus; tum in offerenda pleniori remissione, si illo auxilio bene utatur. Eademque distinctio adhibenda est de remuneratione, seu mercede, non enim propria remuneratio justitiæ, sed alicujus decentiæ et congruitatis locum in peccatore habere potest.

4. *Dubium secundum, an ad hoc meritum requiratur status viæ.*—*Prima opinio negans.*—Secundo, dubitari potest de altera conditione ex parte merentis requisita, scilicet, ut sit viator, an sit etiam ad meritum de congruo necessaria. Nam ex modernis Theologis, Vasquez, disp. 216, cap. 4, affirmat beatos posse sibi et aliis mereri congrue et impetratorie aliqua dona gratiæ, vel accidentalis gloriæ, et ita revera negat necessitatem illius conditionis, quamvis dicat beatum, quatenus sic me-

retur, esse aliquo modo viatorem, vel quia caret illo bono quod meretur, vel quia sic meretur, quatenus exercet actionem viatoris, id est, quæ versatur circa proximos, et non circa Deum. Et hæc quidem fuit de Angelis beatis antiquorum Theologorum opinio, quam tenuit aliquando divus Thomas in 2, dist. 5, quæst. 2, artic. 2; et in 4, dist. 50, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 6, generaliter idem dicit de beatis, sed præcipue de Angelis. De quibus idem sentiunt Bonaventura in 2, distinct. 11, artic. 2, quæst. 2, et in 3, dist. 18, artic. 1, quæstion. 2, ad 2; et Gabriel eisdem locis. Idemque secutus est Soto in 4, dist. 50, quæst. unic., artic. 4, post tertiam conclusionem, ubi idem de animabus beatis affirmat. Et quod beati aliis de congruo mereantur, tenet etiam Palatius in 3, distinct. 18, disp. 1, circa finem. Suaderique potest hæc sententia, quia beati impetrant nobis auxilia gratiæ, et alia bona, ut est certum; ergo merentur illa saltem de congruo. Probatur consequentia, tum quia impetratio ipsa est quoddam meritum, quod impetratorium vocari potest, juxta mentem Augustini, qui fidei tribuit aliquod justificationis meritum, quia illam impetrat, ut patet ex epistol. 105, et aliis locis supra citatis; tum etiam quia non aliter justus viator meretur alteri de congruo, nisi quia pro illo impetrat; sed beati impetrant aliis; ergo illis de congruo merentur. Atque eadem ratione poterunt sibi mereri de congruo, quia etiam sibi aliquid decens postulare possunt, et consequenter illud impetrare ac promereri. Denique quoad bona accidentaliter beatitudinis, quæ nondum receperunt, nulla apparet ratio cur illa mereri de congruo non possint, cum sint amici Dei, et opera consentanea illis præmiis facere possint, et quatenus illis carent, quodam modo seu accidentaliter deficient a perfectione beatitudinis, quatenus esse debet status omnium bonorum aggregatione perfectus.

5. *Decisio affirmativa.*—*Probatur imprimis beatos nihil mereri sibi.*—Nihilominus mihi semper D. Thomæ sententia placuit, nimirum, beatos, sive Angelos, sive homines, nihil sibi vel aliis mereri posse. Ex qua sententia manifeste sequitur statum viæ necessarium esse ad meritum etiam de congruo. Per statum autem viæ, ut verborum æquivocatio tollatur, intelligimus statum non videntium Deum, et loquimur de personis creatis; nam de Christo, quatenus fuit simul viator et comprehensor, alia fuit peculiaris ratio, Docuit autem illam

sententiam D. Thomas, 1 part., quæst. 62, art. 9, loquens de Angelis beatis, et in solut. ad 2 et 3 declarat nihil sibi mereri, etiam quoad accidentalem beatitudinem, et in 2, 2, quæst. 83, artic. 11, ad 1, docet quod, licet beati orent pro aliis, eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, utique in via; unde significat per illas orationes etiam aliis non denuo mereri. Et hanc sententiam sequuntur in illis locis communiter interpretes, et specialiter Vasquez in 1 p., disputat. 20, cap. 2, quantum ad meritum beatorum pro seipsis, nam pro aliis oppositum docet in c. 1, et Medina 1, 2, quæst. 114, artic. 6. Et idem sentit Altisiodorensis, libr. 3 Summ., tractat. 8, cap. 5, quæst. 6, quod ad homines attinet, nam de Angelis aliter sentit, quæ sane differentia nulla probabili ratione fundari videtur, et ideo absolute et sine distinctione hanc sententiam secutus sum in t. 2 de Relig., libr. 1 de Orat., cap. 11 et 22. Et imprimis probatur assertio quoad meritum pro seipso: nam si beatus posset sibi mereri accidentalem perfectionem gloriæ, quam nondum est consecutus, non video cur illud meritum reputandum esset de congruo, et non potius de condigno, quia ex parte operis et personæ operantis invenitur ibi tota perfectio, quæ in merito de condigno puræ creaturæ desiderari potest. Neque est verisimile ibi deesse promissionem et pactum ex parte Dei, si alioqui ex parte beatorum durat status merendi respectu talium præmiorum, maxime cum status merendi ex divina ordinatione pendeat, ut supra ostensum est. Ergo si status ille beatitudinis non excludit statum merendi sibi bonum nondum habitum, non est cur excludat meritum de condigno ejusdem præmii, nulla enim major ratio assignari potest. Quia si ad meritum, abstracte loquendo, sufficit ex parte status merentis, ut careat bono illo, quod est futurum præmium meriti, non minus sufficet hæc earentia ad merendum illud bonum de condigno quam de congruo, si aliunde ex aliis capitibus necessariæ conditiones concurrant. Cum ergo supra ostensum sit non posse beatos aliquid sibi mereri de condigno, consequenter dicendum est neque de congruo sibi mereri posse, ac proinde statum viæ ad merendum sibi de congruo necessarium esse. Ratio autem est, quam attingit D. Thomas, quia beati recipiunt omnem perfectionem gloriæ, tam accidentalem quam essentialem, propter meritum de condigno, quod habue-

runt in via, et ideo non indigent novo merito ut aliquam accidentalem perfectionem propriæ beatitudinis obtineant. Declaratur hæc ratio, quia, ut supra dixi, accidentaliter gloria non cadit per se sub merito, sed tanquam quid consequens ad essentialiter beatitudinem; ergo eodem merito quo in via meruerunt beati tantam et talem beatitudinem essentialiter, meruerunt etiam accidentalem ad illam consequentem, seu illi consentaneam tempore opportuno conferendam; et e converso, sicut in beatitudine nullo modo merentur essentialiter beatitudinem, ita neque accidentalem. Unde non refert quod prius illam non habeant, et postea in illa crescant, quia illud augmentum non est (ut ita dicam) ab extrinseco, sed ab intrinseco. Nam ad hoc necessarium non est ut quælibet accidentaliter gloria simul cum essentiali incipiat, sed juxta status exigentiam. Unde illa perfectio status beatifici, quæ est permanens et quasi habitualis, ab initio beatitudinis datur, neque post neque amplius augetur. Illa vero quæ in actu secundo consistit, et est quasi transiens, ut est illuminatio, gaudium et similes actus, oblata occasione, et existente novo objecto, vel ab ipso beato fit ex vi donorum, quæ habitualiter possidet, cum concursu DEI sibi debito, vel a DEO immittitur, non tanquam novum præmium, sed tanquam perfectio debita ratione talis status et meriti præcedentis. Et ideo merito dixit D. Thomas omnes beatos videntes DEUM esse simpliciter in termino, et non in via, non solum respectu visionis DEI, sed etiam respectu accidentalium perfectionum, quia, licet non omnes illas simul habeant, omnes sunt fructus præcedentium meritorum, qui ab essentiali beatitudine tanquam a radice et arbore pullulant.

6. *Instantia.*—*Vasquez, 3 p., quæst. 19, disp. 76.*—*Replicatur contra illam.*—Responderi potest hinc solum probari, non esse necessarium hoc meritum gloriæ accidentaliter, non tamen probari non esse possibile, quia non repugnat idem pluribus titulis deberi, quando res ipsa, quæ debetur, tradita non est. Sic enim Christus de justitia meruit gloriam corporis, quæ ex vi gloriæ animæ, et ex vi unionis, illi debebatur. Ita ergo beatus, quamvis in via meruerit accidentalem gloriam, poterit eam mereri in patria, quando tradita non est. Contra hanc vero instantiam replicatur prima ratio facta, quia si efficax est hæc objectio, etiam probat beatos sibi mereri posse de condigno augmentum gloriæ

accidentalis, quia sic pluribus titulis perfectioribus illam mererentur. Unde consequenter etiam animæ beatæ mererentur nunc de condigno resurrectionem et gloriam corporum suorum, præsertim cum illam a Deo instantè petant, ut in Apocalypsi dicitur. Quin etiam sequitur Christum nunc in cœlo mereri gratiam et gloriam hominibus, qui nondum illam receperunt, ut pluribus titulis et actionibus illam mereatur, quod falsum est, ut tom. 1 tertiæ partis ostendi, et dicti auctores fatentur. Ideoque respondent Christum non ita nunc mereri, non quia de absoluta potentia non posset, sed quia non offert in cœlo pro nobis opera libera, quæ ibidem facit, quia esset superfluum, cum jam sufficienter fuerit consummata redemptio. At enim cur non idem dicent de cæteris beatis? Nam homines, verbi gratia, qui in hac vita consummarunt meritum gloriæ animæ, etiam consummarunt meritum gloriæ corporis, et consequenter resurrectionis suæ; ergo superfluum est cogitare quod ad hoc præmium consequendum nunc in cœlo offerant opera sua. Idemque argumentum fieri potest de quacumque gloria accidentali, quia meritum ejus in via consummarunt. Ideoque merito dixit Augustinus, 22 de Civitate Dei, cap. 30, statum viæ esse ad comparandum meritum, patriæ ad recipiendum præmium.

7. *Ad argumentum in num. præcedenti.* — Unde ad argumentum dicimus quod, licet contingat idem fieri debitum pluribus titulis, et diversarum rationum, ut de titulo filiationis et meriti paulo post dicemus, et ostendit argumentum in Christo factum, nihilominus id non contingit in titulis ejusdem rationis, ut sunt merita generatim loquendo, præsertim postquam est jus justitiæ plene acquisitum per meritum perfectum et consummatum. Nam, quicquid sit de potentia absoluta, secundum legem ordinariam naturis talium rerum consentaneam id non fit, quia esset superfluum, ut dixi, et quia moraliter perinde esset, post consummatum meritum justitiæ, iterum rem eandem mereri, ac rem suam et jam habitam denuo mereri; denique quia hoc non pertinet ad perfectionem status beatitudinis, qui est status termini, et non viæ, ad quam meritum præsertim propriæ perfectionis pertinet.

8. *Probat deinde beatos nihil mereri aliis.* — *Discriminat D. Thomas tripliciter.* — *Discrimen quartum additur.* — *Intellectus D. Thom.* — Superest alia pars de hoc merito

respectu aliorum, de quo Medina et nonnulli alii moderni censent esse quæstionem de nomine. Quia negare non possumus quin beati impetrent aliis, ut ex materia de oratione supponimus. An vero impetrare dicendum sit aliquo modo mereri, quæstio de modo loquendi esse videtur. Et certe divus Augustinus, in dicta epistola 105, sentire videtur impetrationem meritum quoddam esse, ita enim infert: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Quæ certe illatio bona non esset, nisi impetrare esset mereri aliquo modo saltem de congruo. Et idem sentit idem Augustinus, lib. de Prædestinatione Sanctorum, capitulo secundo. Nihilominus D. Thomas, secunda secundæ, quæstione 83, articulo decimo quinto, accurate distinguit impetrationem et meritum, et ideo distincte orationi tribuit virtutem merendi et virtutem impetrandi, et in corpore articuli differentiam constituit, quia meritum procedit ex radice charitatis, impetratio autem habetur ex gratia Dei quem oramus, et qui nos ad orandum inducit. Unde in solutione ad 3 ait impetrationem principaliter inniti fidei. Secundam differentiam insinuat in solutione ad primum, quia oratio sine gratia gratum faciente non est meritoria, cum tamen sit impetratoria, ut docet in articulo decimo sexto. Tertiam insinuat in solut. ad 2, quod impetratio solum est rei postulata, meritum autem potest esse, et regulariter est alterius præmii. Unde nos quartam differentiam addere possumus, quia impetratio proprie dicta est proprius effectus solius orationis quoad ejus propriissimam partem, quæ est petitio, seu postulatio; meritum autem commune est omnibus bonis operibus, si aliæ conditiones concurrant. Unde ipsamet oratio non habet quod sit meritoria, ex eo quod petitio est, sed ex eo quod est bonum quoddam opus factum sicut oportet, in obsequium Dei. Et ideo dicitur impetratio fundari in fide, vel generalius loquendo, ut orationem Beatorum comprehendamus, in firmo et indubitato assensu de omnipotentia, misericordia ac veritate Dei; meritum autem dicitur fundari in charitate, quia fundatur in dignitate et bonitate operis, quæ ex charitate et gratia operantis proveniunt. Unde, juxta hæc intelligendum est quod divus Thomas ait, cum dicit impetrationem haberi ex gratia Dei, quasi distinguens in hoc impetrationem a merito. Id enim non est intelligendum de

gratia Dei, quæ formaliter nos sanctificat, nam hæc multo magis necessaria est ad meritum de condigno quam ad impetrationem. Neque etiam intelligendum est de gratia Dei, quatenus nos excitat vel adjuvat ad bene operandum, nam hæc etiam gratia tam necessaria est ad merendum quam ad impetrandum. Intelligi ergo debet de gratia Dei, ut dicit puram benevolentiam ac liberalitatem ipsius Dei. Nam vis orationis ad impetrandum tota fundatur in hujusmodi gratia et bonitate Dei. Itaque impetratio non respicit Deum ut retribuentem, sed ut donantem; meritum autem fundatur in bonitate operis, quatenus aliquo modo cedit in bonum (ut sic dicam), licet extrinsecum, seu in obsequium ipsius Dei, et ideo respicit ipsum ut remunerantem, et loquendo de merito de condigno, justitiæ potius quam misericordiæ innitur. Quod si aliquando oratio fit propter merita, vel Christi, vel aliorum Sanctorum, vel ipsius petentis, tunc non intenditur pura et simplex impetratio postulationis, sed etiam quasi exactio et retributio meritorum, quæ in oratione allegantur. Et ita tunc quasi miscetur impetratio et meritum, quod ad rationem impetrationis accidentarium est.

9. *Corollarium: meritum ab impetratione separari.* — Hinc ergo inferimus quod, sicut potest separari meritum ab impetratione, ita e contrario potest impetratio a merito separari. Prior pars manifesta est in omnibus operibus meritoriis, quæ non sunt petitio; quia, ut dixi, impetratio proprie sumpta per solam petitionem fit. Nam impetrare idem est quod precibus obtinere, ut ex vi verbi et communi usu constat. Et in ipsa oratione respective saltem illa duo distinguuntur, ut D. Thomas recte dixit; nam ille qui petit salutem sibi vel alteri, ex charitate, et prout oportet, impetrat salutem, quam de condigno non meretur, et meretur gloriam, quam ex vi petitionis non impetrat. Unde frequenter contingit ut orans non impetret quod petit, quia non expedit, et nihilominus mereatur, quia petendo opus religiosum facit. Posterior vero pars probatur: imprimis, juxta multorum Theologorum probabilem opinionem, peccator orando impetrat sibi a Deo aliquod supernaturale auxilium, quod non mereatur juxta sententiam divi Thomæ, dicta quæstione 114, articulo nono, ad primum, quam aliqui etiam de merito de congruo intelligunt, et sequuntur, quorum opinio licet fortasse vera non sit, nihilo-

minus supponit impetrationem esse separabilem a proprio merito, et in hoc non improbat, sed quia in illa particulari materia sufficiens ratio separationis non invenitur, cum peccator capax sit alicujus meriti de congruo, ut in præcedenti dubio dictum est. Deinde in beatitudine Christus Dominus orat pro nobis, juxta veriore sententiam, et divinis Scripturis magis consentaneam; nam cum alii beati orent pro nobis, cur ipse non orabit, cum per se capax sit orationis, et magis nos diligat, et nunc etiam in cœlo advocatus sit noster, teste Joanne, Epistola 8, capit. 2, et Paulo, ad Romanos 8, dicente de Christo: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Christus ergo orando pro nobis impetrat, nam ad hoc orat, et tamen non meretur nobis, ut in priori puncto dixi, nam si mereretur, non certe de congruo, sed de toto rigore justitiæ mereretur, et consequenter adhuc redemptionem nostram operaretur, quod dici non potest. Deinde alii beati non solum pro aliis, sed etiam pro seipsis orant, ut late dixi, dicto libro primo de Oratione, capite undecimo, a numero nono, et ex clamore animarum, Apocalyps. 6, constat, et tamen non sibi merentur, ut etiam ostensum est, quia alias non de congruo, sed de condigno mererentur. In illa ergo oratione separatur impetratio a merito.

10. *Concluditur beatos et de possibili et de facto impetrare et non mereri.* — Hinc ergo concludimus beatos, licet pro aliis orent et impetrent, nihilominus posse id facere sine novo merito, et de facto ita rem se habere. Prior pars de potestate patet, tum ex dictis de separabilitate impetrationis a merito, tum etiam ex dictis de impetratione pro seipsis, quia si possunt sibi impetrare sine novo merito, cur non aliis? Altera vero pars de facto probatur etiam: primo, ex paritate rationis; secundo, quia hoc est magis consentaneum illi statui, in quo beati jam sunt omnino in termino, et ideo nihil operantur, vel postulant ut aliquid denuo mereantur, neque etiam offerunt actiones suas, ut mereantur aliis, sed solum ut familiares et domestici Dei, eique conjunctissimi propter præcedentia merita, pro aliis intercedunt. Tertio, quia si quid mererentur beati orando pro aliis, illud idem mererentur, etiamsi non impetrent quod postulant; nam interdum contingit etiam beatum non impetrare quod petit, sicut, Daniel. 10, dixit Angelus, qui pro populo Dei orabat: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti*

et uno diebus. Si ergo illa oratio erat meritoria, omnibus illis diebus merebatur Angelus; hoc autem dici non potest, quia nec merebatur sibi, ut jam dictum est, neque populo, pro quo orabat, quia pro illo non impetrabat; signum ergo est impetrationem non consistere in merito orationis, sed in hoc solum quod Deus illam acceptet ad concedendum beneficium, quod potest facere sine merito ipsius orationis.

11. *De anima purgatorii quid? — Vide Abulens., Matth. 25, q. 27 et 76, et quæ dixi 4 tom., disp., 21, sect. 4, num. 13 et 14.* — Concludimus ergo hanc conditionem status viæ, id est, hujus vitæ mortalis, in qua non videtur Deus, esse necessariam etiam ad meritum de congruo. Quanquam de statu animarum purgatorii possit esse aliqua dubitatio, eo quod Deum non videant, et consequenter nondum sint in termino. Nihilominus idem de illis dicendum existimo, ut dicto capite undecimo, libro primo de Oratione, dixi, quia, licet orare possint, et impetrare ex misericordia Dei, vel per respectum ad Christi merita, vel ad propria, quæ in hac vita habuerunt, nihilominus non impetrant propter novum meritum, quia ille status quasi pure pœnalis non est accommodatus, et ideo nec destinatus ad merendum aliquid apud Deum, et quasi ad obligandum illum, licet ad rogandum sufficiat. Neque contra dicta obstat testimonium Augustini supra citatum, ex epist. 105, ubi ex impetratione fidei colligit meritum, nam imprimis dici potest loqui de merito late et improprie, ut multi exponunt, quos infra referemus tractando de merito congruo primæ gratiæ, ubi rem ipsam expendemus. Deinde et fortasse probabilius dici potest loqui Augustinum de impetratione impropria et late sumpta; nam quia oratio impetrat movendo Deum ad faciendum quod petitur, ideo quælibet bona dispositio obtinens a Deo aliquod beneficium, vel perfectionem, impetrare dicitur, quomodo dixit Concilium Tridentinum, session. 14, cap. 4, attritionem impetrare gratiam in sacramento. Sic ergo cum Augustinus non loquatur de oratione, sed de fide ipsa, quæ est veluti prima dispositio remota justitiæ, non loquitur de propria impetratione orationis, sed de generali, quæ conjunctam habet rationem meriti, ut in altero loco de Prædest. Sanctorum, capite secundo, idem Augustinus sentit, cum interrogat: *Quis dicat, eum qui jam cepit credere, ab eo quem credidit nihil mereri?* Nam hinc constat non po-

nere hoc meritum in oratione, alioqui responderi facile posset eum, qui incipit credere, posse nihil mereri, quia potest nihil petere. Ponit ergo hujusmodi meritum in ipsamet fide, eo ipso quod voluntaria et supernaturalis est, et ratione illius dicit aliquid impetrare posse apud Deum; loquitur ergo de impetratione late sumpta, prout tribui potest cuicumque operi vel dispositioni, quæ Deum movere potest, ut ratione illius aliquid homini tribuat. Denique responderi potest Augustinum loqui de viatoribus, quales sunt, qui per fidem ambulant, in quibus impetratio etiam propria semper habet conjunctum aliquid meritum modo in capite sequenti explicando.

CAPUT XXXV.

AN MERITUM DE CONGRUO SIT TANTUM RESPECTU MERENTIS, VEL ETIAM RESPECTU ALIORUM?

1. *Arguitur primo non posse quempiam mereri alteri de congruo. — Arguitur secundo.* — Diximus in superioribus unam ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis, esse ut sibi unusquisque et non aliis mereatur, et ideo explicandum superest an eadem sit ratio de merito de congruo. Et videtur quidem esse eadem, ideo enim non potest aliquis mereri aliis de condigno, quia non potest secundum ordinem charitatis seipsum privare spiritualibus bonis, ut aliis ea tribuat; vel etiam quia meritum dicit ordinem ad præmium, quod sit veluti testimonium virtutis operantis, et ideo meritum supponit laudem, quam unusquisque meretur propter sua opera, non propter aliena; sed hæ rationes eodem modo in merito de congruo locum habent, quia meritum, de quo tractamus, etiam respicit præmium alicujus spiritualis boni, et supponit dignitatem laudis, et unicuique datur quasi in testimonium virtutis ejus; ergo. Secundo, argumentor in hunc modum, quia vel hoc meritum de congruo est in homine justo, vel in peccatore. In peccatore esse non potest, ut paulo post dicam, quia, cum sit Deo odiosus et invisus, vix potest sibi mereri, nedum alteri; si vero sit justus, ut mereatur alteri, necessarium est ut faciat opus bonum, et aliquo modo supernaturale, ac propter Deum: ergo per tale opus sibi merebitur de condigno; ergo nihil merebitur alteri etiam de congruo. Probat hęc ultima consequentia, quia qui per meritum acceptatur ad condignum præmium, nullo modo potest aliquid

ultra condignum mereri, sed illi juste dici poterit: *Tolle quod tuum est, et vade*, quia per præmium condignum integre solvitur totum operis meritum, ac proinde non potest in eodem opere aliud meritum etiam de congruo rationabiliter cogitari.

2. *Communis sententia.* — Nihilominus communis sententia Theologorum est, posse esse inter fideles vel justos communicationem meritorum, saltem de congruo, ac proinde illam conditionem merendi sibi non esse necessariam in merito de congruo, quia potest unus mereri alteri. Ita docet D. Thomas, dicta quæst. 114, art. 6, ubi loquitur in corpore de merito primæ gratiæ, et, in solut. ad primum, de merito salutis. Unde a fortiori poterit esse tale meritum de cæteris bonis ad salutem conducentibus. Et idem ibi docent Conradus, Cajetanus et alii recentiores, et reliqui Scholastici, distinct. 26 et 28, et in 3, distinct. 18 et 19, quos supra retuli cap. 32, tractando an detur meritum de congruo. Unde etiam Soto et Medina, qui negant meritum de congruo respectu ipsius operantis, respectu aliorum illud admittunt. Et sumitur ex Augustino libro 20 contra Faust., capit. 21, quatenus dicit nos colere Sanctos, *ut meritis eorum consociemur*. Ubi non loquitur de meritis quæ Sancti in beatitudine operentur, tum quia illa nulla sunt, ut dixi; tum etiam quia distinguit illa ab orationibus, dum addit: *Et eorum orationibus adjuvemur*. Sociari autem meritis Sanctorum nihil aliud est quam aliquo modo participare fructum illorum; ergo merita unius Sancti possunt aliis saltem de congruo prodesse. Et hoc modo loquendi sæpe Patres utuntur, dicentes nos adjuvari meritis Sanctorum, qui cum Christo regnant, ut videre licet in Leone Papa, serm. 1 de Apostol. Petro et Paulo; Augustino, 21 de Civit., cap. 27, et aliis alibi citatis; intelligendi enim sunt de meritis, quæ in hac vita Sancti habuerunt, ut dixi, et nobis de congruo prodesse possunt, ut significavit etiam D. Thomas in 4, dist. 45, quæst. 3, art. 3, ad quartum, et ibidem Soto, quæst., 3, art. 1, ad quartum. Præterea de justis hic viventibus idem sumitur ex Augustino, libro Quæstionum in Exod., quæst. 149, ubi dicit meritum Moysi apud Deum tantum valuisse, ut gratia illius diceret illi Deus: *Sine me, et iratus conteram eos*. Et infra adjungit: *Quibus verbis significavit Deus plurimum apud se profuisse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat, ut eo modo admoneremur, cum merita*

nostra gravassent ne diligamur a Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Præterea idem docet Ambrosius, lib. 5, ad caput 5 Luc., circa illa verba: *Quorum fidem ut vidit, dicens: Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Deum servus, et interreniendi meritum, et jus habeat impetrandi?* Et inferius eodem libro, circa initium capituli septimi: *Videte* (inquit) *œconomiam, probatur fides domini, et servi sanitas roboratur; potest ergo merito domini etiam famulis suffragari*. Tertia etiam est (ut Lorin. dixit) Ecclesiæ sententia, Stephanum orando Paulum acquisivisse, ut Actor. septimo, Oecumenius et alii notant, et Patres communiter in Sermonibus de Sancto Stephano, qui frequenter dicunt Stephanum impetrasse vocationem Pauli, aliquando vero etiam verbo merendi utuntur, ut Fulgentius, serm. 4 de Stephano: *Charitatis virtute subnixus vicit Saulem crudeliter sævientem, et quem habuit in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem*. Augustinus vero de ea re loquens sæpe dicit quod, si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; non tamen declarat an tantum impetrando, vel etiam merendo, illum lucratus fuerit, ut videre licet serm. 1 et 4 de Sanct.; tamen in sermon. 99 de diversis, cap. 11, sic inquit: *Veniam meruit inimicis, gaudere meruit in cælis de amicitia Beati Pauli subsequentiis*, etc.

3. *Ratio pro eadem communi sententia.* — Tandem probatur ratione. Prima et communis est, quia oratio unius pro alio impetrat illi; ergo etiam meretur illi, saltem de congruo. Hęc vero ratio infirmari potest ex dictis, quia impetratio et meritum diversa sunt, et neutrum habet necessariam connexionem cum alio. Unde peccator potest pro alio orare et impetrare, ut in lib. primo de Orat., cap. 25, juncto 27, dixi; et tamen fortasse non potest pro alio mereri de congruo, ut statim dicam. Sed nihilominus quando oratio funditur ab homine justo et viatore, illatio est optima, quia, ut oratio impetret, debet bene fieri, et ex fide et auxilio gratiæ, et ideo est opus de se placens Deo. Unde si persona sit grata, non est cur non sit meritoria. Adhuc vero instari potest, quia, licet inde inferatur talem orationem esse meritoriam de condigno ipsi operanti, non inde sequitur quod sit etiam meritoria de congruo alteri, pro quo oratur. Et ideo necessario ad hoc principium